



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

Inventio Secunda S. Quintini Martyris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)



## DE S. BLIDMUNDO SIVE GOGO

## ABBATE IN GALLIA.

SECCLO VII.  
III JAN.

**H**ugo Menardus in Martyrologio Benedictino in Non. JANUAR. In territorio Ambianensi S. Blidmundi Abbatis, disciplini S. Valerici. De eo agitur in vita S. Valerici fuse i Aprilis. Ipsius quoque vitam Blidmundi ita describit idem Menardus lib. i observation. ex monumentis monasterii S. Valerici :

S. Blidmundus a S. Valerico curatus fit monachus.

2 S. Blidmundus nobilibus parentibus natus est in quodam castro Delphinatus ad Isaram fluvium. Adolescens omnibus membris captus, diuturno languore contabescebat : donec ad S. Valericum Abbatem, cujus fama per universam Galliam percrebuerat, delatus, ejus precibus sanatus est. Blidmundus tanti beneficii non immemor, se totum Deo tradidit sud magisterio S. Valerici.

Eligitur Abbas.

3 Post ejus mortem S. Blidmundus omnium suffragiis et votis ei suffectus est. Sed cum bella in dies deflagrarent, monachis huc et illic dissipatis, ad S. Attalam Bobiensem in Italia monasterii Abbatem venit : ubi aliquot annos sub districtioris vitae disciplina commoratus est. Extincto bello in Picardiam ad sepulchrum sancti sui magistri redire appetiit : quod illi concedere S. Attala nolebat, quia a tam sancto viro distrahi non poterat. Interea contigit S. Attalam membrorum usu orbari, ita ut ire in tem-

Bobbii degit.

plum non valeret, nisi a S. Blidmundo suffultus. Cumque hoc pacto simul incederent, videbatur S. Attalæ, se per aera sublatus trium pedum altitudine cum S. Blidmundo ambulare. Quo permotus S. Attala ipsi ad sepulchrum S. Valerici remeare concessit.

4 Cum igitur ad locum venisset S. Blidmundus, eum vepribus et spinis horrentem invenit. Iis accensis cellam ædificavit, in qua aliquot annis vitam eremiticam egit. Cum vero non pauca per Dei gratiam operaretur miracula, multi vitæ monasticæ studio ad eum concurrerunt, et constructo monasterio eum Abbatem elegerunt. Ibi vitam Angelis quam simillimam monachi cum beato suo Abbate tradebant.

5 Circa eundem locum erant quædam antiquæ superstitionis reliquiæ, quas S. Blidmundus cum suis monachis extirpavit, prostratis etiam quibusdam simulachris, quæ ibi residua erant. Tandem multis exantlatis pro Christo et animarum salute laboribus in cælum traductus est. Ejus sacræ reliquiæ adhuc visuntur in monasterio ab illo ædificato, quod de nomine S. Valerici dicitur, situmque est ad littus maris in diocesi Ambianensi. Ejus festum celebratur in Januarii in eodem monasterio, ex cujus veteribus monumentis hæc vita de prompta est.

Monasterium S. Valerici restaurat.

Reliquias paganis nisi extirpat.

Moritur.

NOT. 61.

## INVENTIO SECUNDA

## S. QUINTINI MARTYRIS.

CIRCA AN. CHR. DCCXLVII. III JAN.

**S**emper in Ecclesia dies Inventionis sacrarum reliquiarum ac Translationis religiose observati sunt. Quod tum ex Martyrologiis, tum ex variis SS. PP. sermonibus liquet.

2 De hac S. Quintini secunda Inventione ista reperi in antiquissimo Martyrologio monasterii S. Martini Tornaci : In pago Viromandensi Inventionis corporis B. Quintini Martyris ab Eligio Episcopo, et Translatio ipsius. Eadem Molanus in Adit. ad Usuardum, et Galesinius, ac Martyrologium Germanicum Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum : Apud Augustam Veromanduorum Inventionis corporis S. Quintini.

Somonæ fluvius.

3 De Veromanduis, S. Quintini oppido, ejusque corporis Inventione hæc scribit Papirius Massonus in descriptione fluminum Gallia : Oritur Somma in vico Veromanduorum Fervaquio, unde S. Quintini municipium petit : de quo Usuardus in Martyrologio vetus scriptor sic ait : In Galliis oppido Vermandensi S. Quintini, qui sub Maximino Imperatore martyrium passus, cujus corpus post annos quinquaginta quinque revelante Angelo inventum est. Hæc ille pridie Kal. Novemb. In vita quoque ejus Martyris scriptum invenio quod sequitur : Ejus venerabile corpus licet ab impiis in Somona fluvio cum plumbo fuisset immersum, tamen per annos plurimos latuit, et incorruptum est reperitum. Sigebertus historicus ad annum nongentesimum sexagesimum quartum : Ecclesia, inquit, S. Quintini Martyris est in Insula super fluvium Somonæ sita, cujus martyrium anno Christi trecentesimo secundo contigit. Addit Sigebertus ab Eusebia matrona in superiori loco præminentis oppidi quod antiquitus Augusta Veromanduorum vocabatur, corpus ejus esse collocatum; et rursus ab Eligio Episcopo Noviomensi detectum.

S. Quintini prima et secunda inventio.

Unde hæc historia descripta.

Inventionem hanc commemorat S. Audoenus in vita S. Eligii quam i Decemb. integram datari sumus. Hanc autem partem ex quatuor mss. codicibus descripsimus,

Rubæ vallis Lovaniensi, Balthasaris Moreti v. cl. S. Mariæ Bonifontis; quæ ita habet :

4 Eligio viro sanctissimo inter cetera virtutum suarum miracula id etiam a Domino concessum erat, ut sanctorum Martyrum corpora, quæ per tot sæcula abdita populis hæcenus habebantur, eo investigante ac nimio ardore fidei indagante, patefacta prodirentur. Siquidem nonnulla venerabantur prius a populo in locis quibus non erant, et tamen quo in loco certius humata tegerentur, prorsus ignorabatur. Ex eo ergo tempore, quo Eligius Pontifex consecratus Pastor est datus, ab eo nonnulla inventa populis sunt declarata. Ex quibus primum ac summum sanctum Martyrem Quintinum in principio Episcopatus sui, grandi instantia quæsitum, olim quoque celatum, promovit palam in publicum.

S. Eligius Sanctorum corpora perquiriit.

5 Denique priusquam Eligius ejusdem loci datus esset Episcopus, extitit quidam vir improbus, nomine Maurinus, ut videbatur populis, habitu religiosus; cantor etiam in Regis palatio laudatus, atque ex hoc, ut rei docuit exitus, mente tumidus, corde protervus, atque actione dissipatus : qui audacia suæ præsumptionis deceptus, cepit verbis extollere, a se Martyris Quintini corpus, et inquiri posse, et inveniri. Sed ut ejus proterviam illico et Eligii merita demum Dominus declararet, mox ut terram sarculo scalpere cepit, manubrium fossorii manibus ejus inhæsit : sicque miser opus præsumptum relinquens, sequenti quoque die in manibus suis vermibus ebullientibus miserabiliter expiravit. Ex quo facto tantus timor adolevit in populo, ut nullus deinceps, quamvis probabilis vitæ, præter Eligium, hujusmodi negotium auderet appetere.

\* ms. Mor. quasi tumulum quoque.

Maurini temeritas divinitus punita.

\* ms. Lou. et Mor. cavare.

6 Eligius ergo cura Pastoralis suscepta statim in exordio suæ ordinationis cepit assiduare erga locum illum. Est enim haud procul ab urbe Viromandensi, in eo scilicet loco ubi quondam Martyr ex fluvio elevatus

vatus



vatus ab Eusebia in monte fuerat tumulatus. Eligius itaque divino nutu instigatus, volebat in animo, sed et libere proclamabat populo, non illic haberi corpus, quo eum loco venerabatur, sed esse potius in parte alterius. Cumque diu huiusmodi conditio mentem ejus stimulare, cœpit tandem sagaci inquisitione per basilicæ pavementum huc illucque tentare, sicubi sacratum tumulum posset deprehendere. Sed cum nullatenus indicium tumuli reperiret, cœpit a fratribus destitui, prosequentibus cum tremore interitum illius, qui dudum ejusmodi investigationem superba mente concipiens, lugubri morte vitam finisset; nec non et antiquitatem corporis longinquitate jam temporis consumpti, atque ad nihilum in pulverem reducti objicientes, conabantur eum a cœpto mentis proposito revocare. Cumque ei istiusmodi impedimenta a fratribus objicerentur, altius ille ingemiscens, aiebat: Nolite fratres, quæso, nolite impedire devotionem meam: nam ego credo in Creatorem meum quod non me dignabitur tanto thesauro, tantumque mihi desiderato fraudare commercio.

S. Eligius  
S. Quintini  
tumulum in-  
vestigat.

Triduo jeju-  
nat, vovens  
se nisi eo re-  
perto non co-  
nesturum.

7 Tunc ergo attentius persistens, levavit triduanum jejunium, atque enixius Christi Domini divinitatem cum lacrymis exorans, vovit non se prius quidquam alimoniam accepturum, quam mereretur desideratum percipere votum. Tanta namque erat ei fides, tantaque constantia, ut plerumque sic facienda præveniret, tamquam jam facta crederet, et nonnumquam ita cum Deo quemadmodum cum terreno suo loqueretur domino, ac propositum, quod ipse statueret in Deo, complere indubitanter se crederet. Unde etiam cum a multis dehortaretur, dicebat: Tu: inquit, Domine Jesu qui omnia nosti priusquam fiant, tu scis quia nisi manifestum ostenderis mihi corpus hujus testis tui, qui propter nomen sanctum tuum passus est, quamquam indignus, numquam tamen plebis hujus Episcopatum geram, sed exul potius ab hac provincia procul secedam, ubi, ut dignum est, inter bestias moriar.

\* Ms. Mor.  
indicia.

8 Quid multa? cœpto operi persistens, cum adjutores ejus per diversa ecclesiarum loca tentando discurrerent, nullamque inveniendi spem caperent; leniter ille omnes compescens, unum eis locum, quo nulla esse suspicio poterat, in posteriori ecclesiarum parte effodiendum designat. Tunc omnium labore ibi converso li-

benter jussis obtemperant: defossaque jam in altum pedes decem, seu amplius, terra, abs spe iterum inveniendi corporis destituuntur. Et cum tertia jam nox media fluxisset, arrepto Eligius sarculo, rejectoque amphibalo, cœpit totis viribus, cum cereis et lampadibus, terram sanctis effodere manibus, cumque paululum ima fossæ declinans in latus cavernæ scalpere humum cœpisset, mox reperit tumbam sane veterrimam tegentem corpus sacratum.

9 Tunc gaudio magno repletus, cum sarculo, quem manu gestabat, avidissime latus ferisset sepulchri, confestim forato tumulo tanta odoris fragrantia cum immenso lumine ex eo manavit, ut etiam ipse S. Eligius fulgore luminis, odoreque inenarrabili percussus vix subsistere potuisset. Nam et globus splendoris, qui ex tumulo ad ictum ferientis processit, tantam vim suæ claritatis sparsit, ut cunctorum adstantium obtutibus oculorum retusis, partem maximam regionis illius in diei claritatem mutaret. Unde omnes, quos eadem hora vigilare contigerat, quique rei causam ignorabant, magnum quoddam datum cœlitus signum æstimabant. Erat enim transacta media nox, et nox quidem obscura valde et caliginosa: sed procedente fulgore quasi lux diei ad tempus resplenduit, et in tempore claritas recessit.

10 Tunc ergo sacrum inventum corpus Eligius cum gaudio lacrymabili exosculatur; ac de profunda tellure elevato reliquias sibi, undecumque concupivit, segregavit, dentes etiam pro languentium medela ex maxilla sancta abstulit atque ex radice dentis gutta sanguinis exivit: clavos quoque miræ magnitudinis, quos tempore passionis ejus persecutores corpori infixarant, ex cerebro ceterisque artubus abstractos, sibi pro reliquiis sequestravit: capillos etiam pulcherrimos in reliquiis separatos delegavit. Deinde holoserico pretiosissimo obvolutum, compositumque honestissime corpus summa cum diligentia retro altare transposuit. Tumbam denique ex auro argentoque et gemmis miro opere desuper fabricavit: ecclesiam quoque, quæ exigua conventibus populi videbatur, eximio opificio ampliatam decoravit. Ipse demum ex reliquiis, quas a sancto corpore frequestraverat, multa loca condidit, multimodamque medelam diversis agritudinum incommodis easdem impartiendo præbuit.

PER  
S. AUDOEN.  
EX MSS.

\* Ms. Mor.  
fulsisset.  
Eum ipsemet  
reperit.

\* Ms. Mor.  
audacissime.  
Suavis odor et  
lumen e tumba  
S. Quintini.

Aliquis sibi  
inde reliquias  
accipit.

\* al. citra.

Honoriſice  
corpus recon-  
dit.  
Sacris reli-  
quias morbos  
sanat.

## DE S. BERTILIA VIRGINE

### MAREOLI IN ARTESIA.

CIRCA  
ANNUM CHR.  
DCLXXXVII.  
III JAN.

Sanctæ Bertiliæ natalem referunt hoc die Martyrologium Gallobelgicum, Nalendarium Benedictinum, Constantinus Ghinius, Arnoldus Wion, Hugo Menardus. Molanus in Calendario Belgico, et in Indiculo ac natalibus Sanctorum Belgii.

2 Ferrarius: Maricolis apud Atrebatas, S. Bertiliæ virginis. Verum confundit Ferrarius Maricolense et Mareolense monasteria, non recte. Nam Maricolæ, sive Maviliæ, vel Mareoliæ, inferius in vita S. Popponis xxxv Januar. Mariliacum, vulgo Maroilles, monasterium est ordinis D. Benedicti in Hannonia sub diocesi Cameracensi, ad Helpram fluvium, qui non procul inde in Sabim influit; constructum a Choneberto Comite, datum deinde a S. Humberto anno dclxvii atque a Ludovico Pio dcccxiix, postea quoque a Carolo Simplice, aliisque viris illustribus. Mareolum vero est, ut ait v. cl. Authertus Miræus, Canonicorum regularium Abbatia vetusta, apud Atrebatas, cujus prædia suo diplomate Lotharii Francorum Rex cum uxore sua Emma ann. dcccclxxvii stabilivit. De eo Chronicon Camera-

Mareolum co-  
nobium diver-  
sion a Mari-  
colis.

cense lib. 2, cap. 16. Est etiam in vico Maraculo monasterium Canonicorum, ubi Sancta quiescit Bertilia, quæ hoc ipsum suum prædium S. Mariæ tradidit, et lib. 1, cap. 2. Parent autem usque in hodiernum diem constratis aggeribus loca apud Mariolum, ubi Romanæ acies castra metaverant. Adhuc visi aggeres illos testantur Molanus et Miræus. Distat Mareolum Atrebat milliari cum dimidio versus Montem S. Eligii, ut scribit Georgius Colvenerius in Notis ad cap. 25, lib. 1. Chronici Camerae.

3 S. Bertiliæ vitam, Elevationisque ac Translationis historiam ex Ms. Mareolensi descripsimus. Ejus adhuc isthuc assertari reliquias testatur Arnoldus Raisius in Hierogazophylacio Belgico.

4 xiv Septemb. an. Christi mxxxii facta est S. Bertiliæ Elevatio, cujus meminere eo die Wion, Menardus, Martyrologium Germanicum, Molanus in Addit. ad Usuardum; ac iii Januarii idem Molanus in natalibus Sanctorum Belgii, et Miræus. De translatione viii Octob. an. mcccxxviii facta agit ibidem Molanus.

S. Bertilia  
vita: reli-  
quie.

PROLOGUS